



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 73. Festivitatis sancti Placidi, ejusque Sociorum a Pontifice instituta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

V. Die vigesima nona Octobris suo diplomate poenas statuebat contra foeminas abortum, quovis modo procurantes, aut sterilitatis potiones dantes, vel sumentes, eisque auxilium, consilium, sive consensum ad id praestantes.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1588.

§. LXXIII.

*Festivitas sancti Placidi, ejusque Sociorum a Pontifice instituta.*

Postea præcipue hujus Pontificis jussu Festivitas sancti Placidi, & sociorum ejus ex Ordine sancti Benedicti ritu duplici in Messanenfi Siciliae Diocesi celebrabatur; hanc enim in rem Sixtus V. die decima tertia Novembris diploma ediderat, in quo communi illius Provinciae traditioni, necnon historiae innititur, quæ de inventione Reliquiarum horum sanctorum recensetur: refertur enim, quod tunc, dum celebris Abbatia sancti Joannis Baptistæ Messanensis a Serracenis destructa, & postea a Normanis sub sancti Placidi invocatione fuerat restaurata, ibidem anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo octavo præfati sancti Corpus, prout etiam Eutychiei, & Victorini Fratrum illius, necnon Flavie Sororis, ac triginta aliorum Martyrum ejusdem Ordinis Religiosorum Reliquiæ fuerint inventæ,

Bull. Const.  
88. p. 703.  
Thierry  
Ruin. apol.  
pag. 166.  
174. &c.

Hist. Eccles. Tom. L.

S s

quæ



Sæcul. XVI  
A.C. 1588.

quæ nunc ad novam Ecclesiam cum maxima solemnitate transferebantur, haud equidem diffitemur, quod tandem hæc corpora fuere inventa, nulla inscriptio, aut aliud signum, ex quo horum Sanctorum nomina cognoscitur, si tantum fuerit inventum, nec etiam aliud deprehensum inditium, ex quo hæc certo Monachorum corpora existisse, ac sigillatim hoc sancti Placidii, qui fuit sancti Benedicti discipulus, et illud utriusque Germani fratris, et istud Flavie Sororis suæ, ac triginta suorum Religiosorum corpora fuisse discerni valuisset, nihilominus quædam reperiebantur signa, quæ haud obsecundum indicabant, quod hæc vere fuerint sanctorum Martyrum corpora, quibus inditiis cum insuper communis illius Provinciae traditio cum summo studio conservata accederet, Sixtus V. Papa Romanorum sanctorum Martyrum cultum auctoritate corroborare minime dubitabat, indicens festum sancti Placidii, qui coævus sancti Benedicti Discipulus, ejusdem Regulam secutus Messanen- ab eo vocabatur, ubi etiam unacum Fratribus Germanis, suaque Sorore commorans, ibidem Martyrii palmam obtinuit.

Insuper idem summus Pontifex tamquam certum reputat, quod hæc Reliquia



quæ sub pavimento in sancti Baptistæ Messanensis templo inventæ ejusdem sancti Placidi sancti Benedicti magisterio addicti, necnon Religiosorum atque Eutychie, & Victorini fratrum, & Flaviæ Sororis corpora exstiterint, atque una omnes a Mammucha Abdalæ Sarracenorum Regis Duce, ejusque classis Architalasso, cum hac excursionem in hanc insulam faceret, occisi glorioso Martyrio vitæ suæ cursum consummarint: unde hujus rei veritate per motus Pontifex festivitatem publicam tanquam de sanctis Martyribus in Universa Ecclesia Romana sub ritu duntaxat simplici, Messanæ vero, ubi hæ reliquæ fuerunt detectæ, sub duplici quotannis celebrari præcepit: insuper fateri necesse est, quod hæc relatio saltem quantum ad rei summam quadam ratione sat vero simili destituta non sit, cum antiquissimæ traditioni, pluribusque historicis priorum sæculorum, quæ in Annalibus Ordinis sancti Benedicti recensentur, monumentis innitatur, quinimo etsi quis crisi nimium severa, ac religiosa huic veritati historicæ contradicere, vel eam circa quasdam circumstantias in dubium vocare velit, semper tamen omni certitudine firmum manet, quod re ipsa quidam exstiterit sanctus Placidus Religiosus, ejusque

Sæcul. XVI.  
A.C. 1588.

Annal.  
Bened. t. I.  
l. 4. p. 91.

Ss 2

Socii,



Sæcul. XVI. Socii, qui Martyrio coronati fuere  
A.C. 1588. proin cultus, quem Sixtus V. diploma  
 mate mox recensito decreverat, æquali  
 quoque firmitate eisdem deferri valeat.

## §. LXXIV.

*Aliud diploma circa Collegium Montis Alti.*

*Bull. Const.* *89. p. 705.* **A**lia ejusdem summi Pontificis Constitutio hoc anno die decima septima Novembris edita exstat, qua in Bononiensi Urbe erigitur Collegium sub nomine Montis Alti pro quinquaginta Scholaribus, porro huic Collegio beneficia, & annui redditus assignantur, privilegiaque, & exemptiones conceduntur, necnon iudex, & Protector deputatur, facultatibusque & jurisdictione eisdem attributa.

Præterea omnes hujus Collegii alumnos Pontifex ab Archiepiscopi Bononiensis Legati jurisdictione, necnon ab Annatis, aliisque subsidiis exemptabat, atque ipsis etiam, & eorum colonis, & conductoribus, & emphyteutis frumenta, & fruges, ex professionibus Collegii, de omnibus locis status Ecclesiastici absque speciali licentia, & solutione extrahendi, ac ubique in dicto statu vendendi auctoritatem concedebat.

## §. LXXV